



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117956

§. 46. S. Geradus in Hungaria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

Sæculum XI.
A.C. 1043.

nebant, ut taceret, & sic Episcopus Regis furori eriperetur. Sed Sanctus Vir videns, quod metu turbatus verba sua non amplius redderet, *Deum, non homines, time*, inquit, *honora Regem, & Patris tui sensum explica*. Tandemque ut rursus loqueretur coegit. Prophetia dono instructum fuisse Episcopum, illa quæ suo tempore secuta sunt, demonstrarunt. Prædixit quoque, in Hungaria bella & seditiones exorituræ, in quibus & ipse vitam positurus esset.

§. XLVI.

S. Gerardus in Hungaria.

Gerardus natione Venetus, adhuc puer monastico habitu indutus, cum Ierosolimam peregrinaretur, & diversaretur in Hungaria, S. Stephanus Rex ejus Doctrina & morum suavitate usque adeo captus est, ut non solum moraretur invitum, sed etiam custodes conducere, qui eum fugere non sinerent. Gerardus in Monasterium Beelense, a Sancto Rege ad preces Guntherii Eremitæ conditum, se recepit, ubi septem annos continuo jejunans & orans transegit, unicum habens Socium, Maurum monachum, exinde quinque Ecclesiarum Episcopum. Postquam vero S. Stephanus Rex Hungariam pacificavit, Gerardum e solitudine evocatum, ordinari Episcopum jussit, misit.

misitque ad prædicandam Jesu Christi fidem Regni sui populis, qui Sanctum Episcopum ut amantissimum patrem venerabantur. Crescente fidelium numero S. Rex ædificatis in præcipuis urbibus Ecclesiis, Gerardum Episcopum Sedi Chonateni S. Georgio Sacræ præfecit. In eadem Ecclesia extabat Sanctæ Virginis ara, atque ante eam thuribulum argenteum, in quo duorum piorum senum cura & sumptibus incensum perpetuo cremabatur, singulis vero Sabbatis Officium S. Virginis novem lectionum recitabatur. Quippe S. Stephanus Rex & tota Hungaria teneræ devotionis cultu S. Virginem prosequiebantur.

Gerardus Episcopus ea omnia, quæ ad decorem officii Divini pertinebant, maxima sollicitudine curabat, quod diceret, fidem nostram firmandam esse ritibus externis, qui sensibus placent. Hinc vinum generosissimum ad usum S. Sacrificii servabat, illudque tempore, quo æstivi ardores urunt, glaciei inseri jubebat. Non nunquam, ut corpus attereret, noctu surgens, accepta securi solus in silvam exibat, ligna cæsurus. Iter faciens non equo, sed vehiculo utebatur, quo Sacræ lectioni vacare posset. Nova industria vitam eremiticam cum Episcopatu conjunxit, nam cellulas ædificabat prope civitates, quas ad prædicandum Verbum Dei

Sæculum XI.
A.C. 1042.

Sæculum XI. Dei intrabat, atque etiam in remotiori-
A.C. 1044. bus Silvis, ubi noctem deinde transige-
 bat. Talis fuit S. Episcopi vita.

Ovo Germaniæ Regi infensus, quod
Herm. Chr. Petrum Regem excepisset hospitio, irru-
 1042. ptione in Bavariam anno 1042. facta,
 agros vastavit. Annis duobus gestum
 est hoc bellum, & tandem anno 1044.
 Henricus Rex Petrum in Regnum Hun-
 gariæ restituit, qui haud diu post captum
 Ovonem capite plecti iussit. Ita S. Ge-
 rardi vaticinium impletum est.

Eodem anno millesimo quadagesimo
Herm. 1043. quarto Henricus Rex Concilio Constan-
Marian. tiæ celebrato interfuit, ubi inprimis
 1044. omnia, quæ Principis ærario debebantur,
 remisit, tum omnes Sueviæ Optimates,
 aliosque, qui acerba odia exercuerant,
 reconciliavit. Denique pacis tranquil-
 litatem, qualem in eam usque diem po-
 puli ignoraverant, revexit, atque edito
 Decreto non solum in illa, sed etiam in
 cunctis Regni sui provinciis stabilivit.
 Inter hæc Henricus, elata priore uxore,
 Agnetem Guilielmi V. Ducis Aquitaniæ
 filiam duxit, eamque Moguntia coronari
 voluit.